

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Peter Lauremberg

**Petr: Laurembergi[i] Rostochiensis Epitome Prudentiae Civilis, quae Politica appellatur**

Rostochi[i]: Rostochi[i]: Hallervordius: Literis Richelianis, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469980>

Druck    Freier  Zugang





Rb-366<sup>1-4</sup>






PETR: LAUREMBERGI  
ROSTOCHIENSIS  
**EPI TOME**  
PRUDENTIAE CIVILIS,  
quæ POLITIC A appellatur.

Anno  
c I o I o c x l i i .

---

ROSTOCHI  
Literis Richeliani,  
Sumptibus Johannis Hallervordii, Bibliop.



PETRI LAUREMBERGI  
EPITOME PRU-  
DENTIAE CIVILIS.

LIBER I.

CAP. I.

Politices genus; Finis: Subjectum:  
Media: Definitio: Divisio.

I. Politica, illustrissima disciplinarum practicarum, recte Latinis dicitur, Prudentia civilis. Per prudentiam non intelligo versutiam, qualis in est serpentibus; non virtutem specialem moralem, de qua agit Ethicus, non secus ac de Justitia & Temperantia: Sed integrum habitum in praxi consistentem. Talis prudentia est Genus Politicæ, Ethicæ, Oeconomie.

2. Subjectum Politices est Civitas, sive Res publica: quæ duo non differunt realiter, sed sola ratione. Civitas primò nota cives, conseqventer ordinem, vel gubernationem. At Res publica primò involvit ordinem, & conseqventer cives. Cæterum Res publica est adæquatum subjectum Politices: 1. qvia in eam introducitur finis Politices, quem mox dicemus esse felicitatem Civium. 2. Qvia substat & subjicitur, omnibus quæ in toto

Politices ambitu proponuntur. 3. Qvia alteratur, mutatur, necessitate jubente : qvæ omnes sunt essentiales proprietates adæqvati Subjecti.

3. Finem Politices constituimus salutem, aut beatitatem publicā, vel fœlicitatem civilem, cuius particeps debet fieri Respublica, qvi ita se habet ad Politicam, ut sanitas ad Medicinam. Esse verò hanc fœlicitatem internum & proximum finem Politices sic evincimus : 1. Qvia ad illam primò, essentialiter, & intimè referuntur omnia, qvæ tractantur in Politica. 2. qvia hæc fœlicitas introducitur in Rempublicam. 3. qvia ea acquisitâ qviescit Respublica, & perfectionem suam nacta est.

4. Instrumenta Politices sunt personæ & leges, qvibus ceu mediis & organis Felicitas in Rempubl: introducitur.

5. His positis potest talis construi Politices Definitio : Politica est P R U D E N T I A, per quam Respublica particeps fit civilis fœlicitatis.

6. Dividimus Politicam in partem conservatricem, & restauratricem. Conservatrix occupatur Republicā in sua integritate tuendâ, ut sancta tecta maneat. Curatricis officium est restaurare Rempublicam labascentem, & illius incommodis opem ferendo succurrere.

## CAPUT

## C A P U T II.

## Politices generalis Constitutio.

1. IN omni disciplina practicā, imò etiam in artibus, à fine est incipiendum. Finis enim hīc habet rationem principii: Finis primus est in cognoscendo, licet postremus in exeqvendo: Ignorato enim fine omnia nesciuntur, qvæ in disciplina proponi queunt.

2. Finem internum Politices jam ante fecimus fœlicitatem civilem. Explicabimus igitur quid sit ea fœlicitas? & in quo consistat? & qvia est maxima Homonymia in voce fœlicitatis, segregabimus omnes Heterogeneas significaciones hujus vocis.

3. Finem seqvetur Subjectum, Civitas vel Respublica, qvæ est cætus hominum sub uno ordine viventium, salute publicâ, & summo bono donandus. Rempublicam tanquam totum, resolvemus in partes seu species tres, nimirum Monarchiam, Aristocratiam, & Democratiam, id est, cum vel unus, vel optimates, vel populus imperat. Anqviremus quoque an detur Respublica qvædam mixta, tanquam qvarta? Qvin etiam vocabimus huc novam speciem illam Platonicam Reipublicæ Isoropon; consistentem in communitate & æqualitate omnium rerum. Tribus ipsis primis speciesibus Reipublicæ communis est suprema potestas,

A 3

ad

4

ad quam pertinent Regalia, de quibus nos pro re-  
nata etiam agemus. Ulterius supra illa pote-  
stas relationem habet, & essentialem respectum.  
ad obædientes. Proinde dehinc agemus de sub-  
ditis; qui sunt vel cives, vel incolæ, vel peregrini.  
Omnib. his convenient familiæ, proinde de fami-  
liis aliquid in genere proponemus; Familias ul-  
terius resolvemus in species alias, sc. Nobiles, Li-  
teratos, Milites, Opifices &c.

4. Sic fuit Subjectum: seqvuntur Instrumenta  
qvæ ex communi sententia rectè docentium,  
constituemus diuum generum. Alia enim solo  
consilio opitulantur Reipublicæ, ut Consiliarii,  
Senatores &c. Hi omnes quasi sunt altera ma-  
nus supremæ potestatis, cuius voluntatem ex-  
eqvuntur. Atq; ita huc pertinent, & sunt Instru-  
menta; At, vero qvatenus ipsi sedent ad clavum  
Reipublicæ, qvatenus jus habent in cives, ita huc  
non pertinent. Deinde sunt leges salutares, qvi-  
bus salus Reipublicæ conservatur, haud secus ac-  
diæta, ac medicamentis conservatur sanitas.

5. Adjungemus affectiones omnium Rerum-  
publicarum, qvæ sunt corruptio, translatio, inte-  
ritus; Harum 1. causas pervestigabimus. 2. Re-  
media salutaria iisdem applicabimus.

## CAPUT

§

### CAPUT III.

#### I. PARS CONSERVATRIX.

##### De fine Politices.

1. **P**olitices intimum finem constituimus felicitatem civilem vel publicam. Per eam non intelligimus felicitatem spiritalem, qualis in Deo & mentibus; non corpoream, quam Poetæ ascribunt rebus in animis, vel & brutis; Sed humanam; neq; tamen omnis status eam, sive Oeconomici, sive Ethici; sed potius politici status; Hæc felicitas Politica vel est apparenſ, vel vera. Apparens cum feliciter civis qvidem agunt, sed insuper habita honestate & virtute, qualis erat apud Sybaritas, apud Ephesios, & alios; Felicitas vera seu summum bonum Politicum sincerum, constituit in his tribus:

2. **I**n Pace Interna, cum mutuus est imperantium & obedientium affectus, amor, & concordia, qvâ res parvæ crescunt, sicut discordiæ res magnæ dilabuntur.

3. **H**onestas publica, & studium indefessum Virtutis. Sine honestate enim nihil stabile, nihil permanes.

4. **I**ntegritas & conservatio totius Reipublicæ. Huc respiciunt consilia, & cura superiorum & inferiorum.

A 4

s. Atq;

5. Atq; hæc est felicitas simpliciter. Datur & felicitas cum gradu eminentiæ, cui ornamenta quædam accedunt alia, quæ licet non sint de essentia felicitatis, illustriorem tamen eam reddunt. Tales 1. Pax externa. 2. Exercitium vitæ contemplatiæ. 3. Religionis unitas & puritas. 4. Omnia rerum affluentia.

#### CAPUT IV. De Civitate.

1. Inem proximè excipit Subiectum, qvod in nostra Politica fecimus civitatem vel Republicam. Hic solent Politici disputare de prima civitatum origine. Relinqvimus nos illis hanc litem; Edocemur verò Scriptura sacra, primam civitatem instituisse Cainum, urbemq; condidisse Henochiam, sitam ad latus montis Libani. Ante illum haud dubio degebatur in tuguriis.

2. Causaverò quæ homines impulit ad societatem civilem ineundam, princeps, primaria, & per se, ipsa est Natura. Nam juxta aureum illud Aristotelis verbum, **HOMO PER NATURAM EST ANIMAL POLITICUM**. **Enim** verò primò homo in Mundum missus est ut bene ipse esset; omnesq; naturali instinctu optant sibi bene esse. At homini seorsim viventi extra consortium non potest bene esse aut sufficienter. Neq; enim in se omnia possidet: quo circa homo per naturam expedit

7

petit societatem, & qvì hanc aversatur aut Deus  
est, aut perversissimus neqvam, ut habet Aristot.

3. Si bruta, ut apes, formicæ, grues &c. non  
urgente ullâ indigentia, aut periculis, tamen con-  
gregantur & suo qvasi modo societatem consti-  
tuunt, qvantò magis homo adductus ipsa eadē  
natura?

4. Natura nihil facit frustra: natura verò ho-  
mini dedit orationem aut loqvelam. At hæc in-  
utilis foret nisi homo conversaretur cum aliis. So-  
lus enim secum nemonisi fatuus loquitur.

5. Natura igitur est prima civitatum causa,  
qvam ex accidenti & cōcomitanter sequutæ sunt  
aliae concusæ: sc. ut defectus rerum & indigen-  
tia tolleretur: ut injuriæ commodiūs depelleren-  
tur.

6. Hisce positis & præmissis, definimus Civit-  
atem seu Rempublicam, (nam pro eadem utram-  
que habemus,) qvod sit cætus familiarum seu ho-  
minum, eodem jure, iisdem legibus, in eadem ci-  
vitate, sub eadem potestate viventium, vitæ suffi-  
cientis & beatæ civilis gratia.

## C A P U T V.

### De speciebus Rerumpublicarum:

1. Res publica tanqvam totum resolvenda erit  
in species aut partes.

2. Specierum constituendarum differentias

A 5  
essen-

essentiales, non arbitramur legitimo jure posse peti. 1. A Divitiis aut paupertate; Hæc enim accidentia sunt, qvibus sublati nihilominus integra perseverat Reipublicæ species eadem. Salomonis regnum erat ditissimum, argentum tam vile qvam lapides; Filii, nepotes, & posteri istius, vixerunt in rebus multò angustioribus; Nihilominus regnum obtinuerunt æqvè ac Salomon.

3. Deinde differentia specifica distinguit à se invicem omnes species. Sunt autem species diversæ Rerum publicarum, omnibus satentibus, Regnum, Aristocratia, Democratia, ut mox dispiemus. Sed divitiæ aut paupertas omnibus hisce ex æquo possunt esse communes; Proinde non forent inter se distinctæ Species; quod absurdum. Darius ultimus seu Codomannus divitiis parem in mundo non habuit, ullum: Venetorum Aristocratia florentissima quoq; est, & opibus affluens; Hæ ergo forent unaæ quoad species.

4. 2. Neq; amplitudo regni neu latifundium distinguit Republicas; Enimverò qvinquaginta novem Reges Græciæ profecti ad bellum Trojanum, oportuit habuisse augustos admodum terrarum & regni limites; qvippe cum ipsa Græcia tota non sit valde spatioſa; Nihilominus tamen Reges fuerunt: & optimi, & fortissimi, haud minus qvam Alexander M. cui totus terræ globus erat nimis angustus.

Confi-

5. 3. Consimiliter alia accidentia, ut robur, pulchritudo, solertia, parerga tantum sunt.

6. Nos arbitramur species Rerumpublicarum constituendas esse ab illis quæ essentialia sunt. Essentialia autem Reipublicæ consistit in imperantibus & obedientibus. Absque his enim Respublica non est id quod debebat esse; haec ponunt, haec tollunt Rempublicam; Imperantes sunt tanquam forma dans perfectionem. Obedientes sunt tanquam Materia, quæ perficitur. Sicuti vero forma dat esse rei, sic etiam dat distingvi. Proinde etiam species Reipublicæ constituuntur per imperantes. Et sicuti una forma constituit unam speciem corporis, duæ formæ duas, & sic consequenter, ita à numero imperantium dependente species Rerumpublicarum.

7. Resultant igitur haec varietates: 1. potest unus & solus aliquis administrare imperium in subditos. Haec est Monarchia. 2. Pauci igitur optimates aut primi in civitate potestatem summam habent in ceteros: Haec est Aristocratia. 3. Multi è populo arripiunt clavum supremum Reipublicæ: diciturque Democratia.

8. Præter hæc tres species, quæ certè legitimæ sunt, & in natura fundatae, proponuntur duæ aliæ: 4. Mixta, veluti confusum chaos ex tribus istis. 5. Republica Platonica, Irroratos, in qua nullus est imperans, nullus obediens, sed omnium civium

civium ac incolarum æqualitas. De his quinque, ordine jam erimus solliciti.

### C A P U T V I .

#### De speciebus & classibus Monarchiæ.

1. **M**onarchiæ vox Analoga est, principaliter denotans imperium vel regnum. Dehinc consecutivè dominatum : & ultimò Tyrannidem. Hic initio notanda sunt discrimina harum vocum, seu potius rerum.

2. 1. Imperium dicitur nobis suprema potestas, tam excelsa & sublimis, ut parem in mundo non habeat. Julius Cæsar, teste Svetonio, primus sibi attribuit prænomen Imperatoris, & cognomen Patris Patriæ ; Hujusmodi Imperium unicum & solitarium est Romanum Imperium ; Reliqua omnia Regna infra istud sunt, istudque perennabit & dominabitur usq; ad Mundi exitum, quod de eo promittit Spiritus Dei apud Danielem, qui cœtera Mundi regna non æstimavit digna præ hoc, ut mentionem eorum ficeret.

3. Regnum in genere notat qvamlibet potestatem : ita qvisq; domi suæ Rex est, & Regnum obtinet : Ita Politici scriptores & nos cum illis, Regni nomine complectuntur etiam Imperium. Sed propriè regnum est summa potestas, non ad tantum erecta gradum excellentiæ ac Imperium ;

Tale

*equivalens*

Tale regnum est in Hispania, Anglia, Gallia,  
&c:

4. De horum duorum (imperii & regni) ef-  
sentia est, ut primò qværant salutem subditorum;  
secundariò commodum imperantium.

5. Dominatus *δεσποτία* etiam est summa po-  
testas, sed in qua non qværitur primò salus sub-  
ditorum, sed subditi quidem curantur & aman-  
tur, verum coactè & per necessitatem; qvia eo-  
rum opera neutiqvam carere potest dominator;  
Proinde primò eos curat propter seipsum; subdi-  
tique eum colunt, volentes sed invito animo. Ta-  
lem despotiam exercent Muscovita, & Turca.

6. Tyrannis apud antiquos erat bonaë famæ  
vox, ut liqvet ex Porphyrii Isagoge, capite de spe-  
cie, & aliis autoribus. Hodie verò admodum su-  
specta, & perversa est hæc appellatio; diciturq; de  
illo regimine, in qvô Regens de salute subditorum  
nihil est sollicitus, sed primo suam ipsius qværit;  
Tyrannidem exercebat Dionysius in Sicilia; Ro-  
mæ Nero, Caligula, & alii &c.

## CAPUT VII.

### Monarchiæ commendatio.

1. Inter omnes Reipublicæ species herbam imo  
palmam porrigimus Monarchiæ, qvæ se i-  
psam reddit commendabilem, 1. Jure antiquita-  
tis. 2. Ob ingenitam sibiq; privam seu peculiarem  
excellentiam.

2. Nimis

2. Nimis ineptiunt illi, qvi Monarchiam primam esse inde evincunt, qvod jam à Julio Cæsare perrennavit usque ad hæc tempora. Mecastor jam ante Julium ultra tria millia annorum vigerunt Aristocratiæ apud Græcos, & multo vetustiores Monarchiæ.

3. Neq; facio cum illis, qvi concedunt Nimrodi imperium fuisse omnium primum, & ante illum homines sparsim vixisse extra Respublicas. Ego sic censeo : Monarchiam primam viguisse apud Cainum in Hanochia, qvi circiter sesq; mille annis antecessit Nimrodum, ut liquet ex Genesi cap. 4. Qvin ibidem cap. 6. annis centum viginti ante diluvium vixerunt Tyranni, Heroes celeberrimi, & dominatores fortissimi, cum Nimrod diu vixerit post diluvium, utpote Nepos Noæ.

4. Deinde Excellentissima qvoq; est Monarchia, qvia tūm simplicior, tūm diuturnior cæteris speciebus. Unum qvodq; ut est simplicius, ita durabilius, ita præstantius multiplici; neq; unum à se dissentit ut multa; & qvamprimum definit esse unum qvid, dissolvitur. Monarchia unum qvid est, qvippe ubi unus imperat : in Aristocracia aliquam multi : in Democracy plurimi. Sic historiæ docent nullam Aristocratiam tam fuisse perennem ac Monarchias. Chaldaica duravit per mille quadringentos annos. Qvarta hæc nostra Roma-

Romana ab Julio Cæsare usq; in præsens peren-  
nat, jam annos mille sexcentos octuaginta duos.

3. Prædictas Monarchiæ species ordine per-  
seqvemur; dicturi I. de Regno seu Imperio. (nam  
hæc comprehendemus in unum) II. de Domi-  
natu. III. de Tyrannide.

### CAPUT VIII.

#### I. DE REGNO.

**Q**yalem deceat esse Imperatorem? seu  
qvaæ sint propriè illius virtutes?

1. **R**egi cum multi conveiant respectus, & re-  
lationes, uti qva est pater, aut maritus, & fa-  
miliam alit; qva est Christianus, & pietati dedi-  
tus; quæ est vir bonus honestati & virtutum stu-  
dio incumbens; quæ est sapiens & multarum re-  
rum scientiæ instructus: sic quoq; pro diversis his  
rationibus diversæ virtutes conveniunt Regi; sed  
qvaæ illi communes sunt cum aliis hominib; pri-  
vatis, & qvarum nonnullis, etiam optimus Rex  
carere potest.

2. Hujusmodi virtutes Rex non haurit ex Po-  
litica, sed ex Ethica, Philosophia, Theologia; ut  
proinde mihi videantur falcem in alienas segetes  
immittere Politici, qui in libellis suis Politicis Re-  
gem informant talibus virtutibus.

3. Nos præsupponimus, Regem omni gene-  
re dotium & virtutum debere esse instructum, ad-  
eoq;

eoq; suis subditis antecellere & prælucere, veluti  
cœlo luna sereno inter minora sydera.

4. Ast enim verò hic loci Rex considerandus  
est ut persona publica, qvatenus est Rex; atq; ita  
illi peculiares propriæq; sunt nonnullæ virtutes,  
nulli præter eum alii communes.

5. Triga talium virtutum hæc est: 1. *Cura  
salutis publicæ*, qvam unicè & ante omnia qvæ-  
rere ac anhelare debet Rex, illiq; omnia sua post-  
ponere; Enimverò nisi id faceret, neq; Rex esset  
sed Tyrannus, neq; naturæ suæ ipsius paria face-  
ret. Nam cum Rex tantum habeat quantum sub-  
diti, si subditorum salutem non qvarit, neq; qvæ-  
rit propriam.

6. 2. *Justitia administratio*, qvæ ita Regis pro-  
pria est, ut nulli conveniat nisi summæ potestati.  
Justitiam à Rege amovere, est Solem è Mundo tol-  
tere. Absq; ea necesse est omnia in pejus ruere &  
retro sublapsa referri.

7. Consistit verò illa in duobus: 1. *Ut boni or-  
uentur præmiū & honoribus*, 2. *mali mactentur pœ-  
nū*.

8. 3. Disputant Politici, an Rex imperium ad-  
ministrare debeat, clementia an severitate? Nos  
altercationes illas hinc amovemus.

9. Et 3. virtutem Regis tertiam facimus *Tem-  
peramentum clementia & severitatū*. Rex utatur  
*clementia erga suos*; sed ita ne familiaritas con-  
temptum

zentum patiat; proinde temperet illam cum severitate modestâ.

10. Dixi clementiam adhibendam esse Regi,  
1. quia Rex sine illa Rex non est, sed Tyrannus. 2. quia sine clementia non potest vel conquerere vel servare amorem subditorum. 3. quia sic stabilius & diuturnius redditur imperium.

11. Ab alterâ parte admiscenda est autoritas & severitas, sine qua subditi nunquam in officio continentur. Nisi autoritate utatur Princeps, quis illi imperanti morem gereret? Veruntamen hæc severitas consistat intra mediocritatis limites, neq; sit nimis fastuosa, qualis Regum Persicæ, Sultanorum Ægypti, aliorumque qui rarissimè subditis se dabant conspiciendo, quorum exemplum omnino fugiendum; Nam qui Rex subditos indignos judicat aspectu, eum isti indignum judicant observantia.

### C A P U T . I X.

Quibus modis aut viis Imperator vel  
Rex provehatur ad summam  
potestatem.

1. **N**unc porro postquam ideam boni Regis graphicè depinximus, dispiciendum est de mediis, seu modis quibus Imperator devenit & promovetur ad summam potestatem.

2. Hæ viæ vel extraordinariæ sunt & illaudabiles; vel legitimæ & probatae.

B. Historiam in 3. De

3. De illicitis vel extraordinariis non sumus solliciti; Uti cum alii per fraudes & mendacia; alii per divitias & munera; alii alia ratione invasionem faciunt in imperium.

4. Legitimi & ordinarii modi tres sunt: 1. Sortitus. 2. Ele<sup>c</sup>tio per liberum votum. 3. Successio facta jure hereditario. De singulis ordine & breviter.

5. 1. Sorte olim tum omnis generis res arduæ & dirempta difficiles expediebantur; tum familiariter Magistratus sortitione designabatur. Qvod & Aristotelis, imo Homeri tempore in usu fuit; Ita per sortem Saul vocatus est ad regnum I. Samuel. cap. 10. v. 20.

6. Neq; est qvod quis objiciat temeritatem; qvā sortes ducuntur; Vel DEUM, haud minus aliis mediis adesse quam sortibus, ut proinde præstet illa præhis eligere.

7. Enimvero dum nos sorti locum concedimus, has ponimus hypotheses; 1. Eos qui sortem administrant, non temerè agere, sed prudenti consilio & deliberatione; eos esse viros integros & non sublestæ fidei. 2. Præsupponimus sortem adhibendam, cum nulla alia via suppetit di-judicandæ & dirimendæ controversiæ.

8. Nunc porro si verum est, DEUM sorti æqvæ adesse ac aliis mediis, cur sors non æqvæ recipitur ac alia? siquidem Deus creditur vel maximè sortem moderari?

z. Ele-

9. 2. *Electionem* voco illam, cum liberis sententiis & arbitriis nominatur & constituitur Rex, è quacunq; vel pro sapia vel regione. Sic olim Numa Romæ electus est Rex. Sic Consules ex agris vocati ad gubernacula.

10. Hoc autem commodi electio secum fert: i. Quod licet Regem facere illum, qui optimus esse judicatur. 2. Quod possit iterum amoveri ab imperio, nisi scio dignum gesserit. Nam quibus suis facultas eligendi, iis & iis est deponendi.

ii. Sed hic præsuppono electores debere esse viros integros fidei; non corruptos muneribus; non adductos gratiâ; non occupatos præjudiciis.

iii. Libera electio hodie quod sciam vix alibi datur, nisi in Pontifice Romano: in Duce Venetorum: in Consulibus aut Magistratu civitatum.

13. 3. *Successio*, Præcipua sanè est inter omnes modos, quibus Rex ad imperium evicitur. Successionem voco, quando is qui Regi vel defuncto, vel alioquin amoto ab imperio, sanguine aut alio vinculo intimiori junctus, succedit.

14. Non sum nescius Arnisæum vellemente invehi in successionem, eamq; sublestam & abrogatam vel rejectam cupere, allatis plusculis argumentis; Sed quæ frigido saltē schemate pugnant, nec magnarum sunt virium, facileq; se jugulari patiuntur ab eo, quinon nimis est debilis iudicii,

15. Nos & partes & laudes meritas ascribimus successioni. 1. Quia major est benevolentia, & amor inter subditos & Regem per sanguinem succedentem, quam penitus alienigenam. 2. Quia consuetudinem succedendi, jam toto fere orbe receptam, qui tollere vellat, eum luculenter oportet insanire; sine cede & sanguine id neutrum quam fieret.

16. Hodiè per successionem derivatur Scerptum ad Imperatorem Romanum, & jam per seculum haec successio mansit penes dominum Austriacam; Nam licet Imperatores sese Electos dicant, & ab Electoribus septem designentur, non tamen haec vera est & propriè dicta electio, sed arcta & restricta, seu potius confirmatio Imperatoris iure genitale succendentis. Olim Carolus 4. in aurea bullâ astrinxit hanc electionem ad solos Germanos. At postquam domus Austriaca florebat incepit, jam angustioribus limitibus coegeretur, solarnq; respicit familiam Austriacam.

17. Per successionem, in Hispania Philippus IV. hodie dominans, successit patri suo Philippo III. In Anglia Carolus I. sedem occupat patris sui Jacobi I. In Gallia Ludovicus XIII. regnum nunc tenet, quod ante ipsum tenuerat pater Henricus IV. In Polonia Uladislaus successit patri suo Sigismundo. In Dania Christianus IV. nunc feliciter imperans, patri suo Friderico successit. In

Svecia

Svecia incomparabilis Gustavus Adolphus sceptru coronamq; patris sui Caroli gessit; & ab illo relieta unica filiolâ Christina II. hodie tûm à matre vidua Eleonora Maria, tûm à proceribus regni regie educatur; utpote olim futura Regina, & conjux digna magni Herois Regis.

## C A P U T . X.

## De Rege extraneo per sortem aut electionem designando.

1. Primum videbimus fortuitam aut liberam electionem post successionem.
2. Quæritur initio, an Rex extraneus potius quam indigena sit eligendus? Nos in alienigenam prorsus non consentimus, sed fasces offerimus indigenæ.
3. 1. Quia qui in eodem solo natus & educatus est, multo majori amore & affectu ducitur organa patriam & populares, quam extraneus; Hoc enim à Natura insitum est; justa illud Poetæ, Nescio qua natale solū dulcedine cunctos ducit &c: Ex hoc ingenito affectu seu fonte proficit cura salutis subditorum.
4. 2. Quia subditi etiam per reciprocem affectum, melius volunt, libentius obediunt thanatilitio suo Principi quam Heterogeneo; de quo semper nescio quid suspicantur, in primis cum vident ipsum suos populares anteferre subditis; eos provehere ad munia quæque, neglectis subditis.

B 3

3. Quia

¶ 9. 3. Quia exotici Reges ad suorum morum  
& sui genii ductum conformare student subditos,  
& ita novitates introducunt, quæ dici non potest  
quam periculosa sunt in Regno.

## C A P U T X L I

### De Successione (1) filiorum in Regno,

(2) Nepotis vel agnatorum,

(3) Foeminarum.

I. Lectioni niox subjungimus successionem.

Hic considerabimus tres casus : 1. De Successione filiorum. 2. si filii desint, de successione Nepotum & agnatorum. 3. si & hi nulli sunt, de successione foeminarum seu de Gynæcocratia.

2. Quod attinet ad 1: primum casum, si filius unus relictus est à Patris morte, is citra omnem dubietatem hæres est & honorum & Regni paterni. At si plures fuerint, omnibus anteferimus primogenitum. Nam si ex æqua inter omnes dividetur regnum, nimis labefactaretur authoritas & splendor familie. Res singulorum nimis rediderentur tenues, non ut libans oīneq; 3. 3.

Et sanè primogenito peculiare indulxit privilegium cum Voluntas Dæi, cum Jus Naturæ, cum Consensus omnium Gentium. Non patitur angustia chartæ singulas has partes prolixè stabilire.

4. Si consensus saltem videamus omnium gentium, nullum hodie sub sole imperium, aut Regnum est, aut Principatus, in quo primogeni-

tus

tus non occupet jus regni & summam potestatem. Unde etiam primogenitus solet peculiari honoris titulo donari. Apud Gallos primo natus dicitur le Daulphin, Delfinus: in Hispaniâ Infante; in Anglia the Prinz van Walles; In Dania der Prinz simpliciter.

5. Coeterum cum primogenitus potitus est regni, fratres reliqui tenentur contenti esse assignata sibi portione, qva vitam agere queant dignitati suæ convenientem, nec turbas fratri Regi movere. Ita secundo genitus in Gallia est Duc d' Orlans; tertio genitus Duc d' Anjou. Ita in Dania secundo & tertio genitis fere obtingere solet Episcopatus aliquis.

6. II. Secundus casus in successione positus à nobis fuit, cum nullis filiis relictis, superest nepos & nepotis patruus.

7. Qvaritur uter horum præferendus sit? & promovendus ad gubernationem? Hic magno animorum conflictu certatur inter Politicos, aliis pro patruo, aliis pro nepote militantibus.

8. Nos arbitramur non opus esse tam ferventi litigio, sed spectandam esse regionis cuiusq; consuetudinem, si ea ferat & jubeat ut frater succedat fratri, seu patruus ante feratur nepoti suo ex fratre, tum temeritas fuerit & stultitia hunc morem, qvi legem imitatur, everttere. Qvin potius is omnino servandus.

9. Ast vero si consuetudo sit ut ad nepotem regnum devolvatur excluso patruo, etiam tum huic mori mos est gerendus.

10. Cœterum si queratur non quid fiat aut in usu sit? sed quid debeat fieri? quid æquitati auctoritatem conveniens sit? tum perpetuo & rectissimum nepos præferendus erit suo Patruo. Nam uti docent Jurisconsulti, hic nepos patrui, seu filius Patris sui æstimatur eadem persona cum Patre per leg. ult. C. de Impub. & aliis subst. & subit eundem gradum cum Patre, Novellâ 13. adeoq; hæres sit omnium quæ debebantur Patri. Patris autem, ut primogeniti regnum erat. Ergo & regnum erit Filii seu nepotis patrui, non patrui ipsius.

11. Ita hodie passim observatur in Europâ. Sic in hac nostra Megapoli, jus & mos idem vigeret; Et juvenculus Princeps GUSTAVUS, nepos ex fratre illustrissimi Adolphi Friderici, cum adoleverit, successor fiet sui patris Johannis Alberti, pia memorie.

12. III. Tertius casus succedendi in Regnum, tangit Fœminas, quarum imperium peculiari vocè dicitur Gynæcocratia.

13. Hanc ut rejicient, & suspectam reddant. Politici nostri congerunt, quidquid uspiam contumeliarum corraderem possunt; atq; illud uno spiritu, plena ore evomunt in miseras mulierculas.

14. Non

14. Non abutemur otio, nec illa scribendo vocabimus ad Examen; De Gynæcocratia quæ nostra sit sententia, sequentibus assertionibus breviter proponemus.

15. 1. Ordinariâ successione & continuata Regni administratione foeminis solis aut semper offerri imperium prorsus non est ex salute Rei publicæ. Foeminae enim ordinaria legè natæ sunt ad obediendum, uti viri ad imperandum.

16. 2. Sed extraordinaria ratione, & interdum, non esse foeminis denegandam administrationem arbitramur; Si hæc conditiones affuerint. 1. Si consuetudo sit Regni, exemplis stabilita, foeminas capessere imperium: consuetudo enim imitatur legem; Ita Maria, Regis hodierni Galliarum master, per aliquot annos regnum administravit. Tumq; Galli vixerunt sub Gynæcocratia. Sic aliam in Anglia incomparabilis Elisabetha, pro more illius Regni, sedet in solio regio; & felicius gubernavit quam multi ante ipsam Reges.

17. 2. Si subditi uno ore consentiant in successionem foeminae. Nam subditorum applausus hic facit utramq; paginam.

18. 3. Si regina ipsa iis sit prædicta virtutibus, ut dignam se queat gerere regno: si sit pollens auctoritate; prudentia civili instructa; amans subditorum; clementia aliisq; virtutibus conspicua; Quis quæso detrectet vivere sub ductu talius Reginæ?

19. Haec tenus de Regno; Seqvuntur relique  
dua species Monarchiæ, Dominatus & Tyrannis.

## CAPUT XII.

### II. DE DOMINATU, secundâ, Monarchiæ specie.

1. Es ipsa jussit nos huic usque; in regno, & hujus acquisitione versari. Nunc pedem proferrimus. contemplatur reliquias duas Monarchiæ species; & hoc quidem loco Dominatum; sequenti capite Tyrannidem.

2. Dominatus desciscit plusculum à perfectione Regni, cui quidem externa species similis est, sed internè ignobilior & deterior; In Regno curantur subditi affectu paterno & principaliter; In Dominatu habetur quoque subditorum quidem ratio, sed coacta & de necessitate; quia scilicet dominator non potest alioquin rem suam constabiliare, nisi utatur ope subditorum; Subditos igitur curat propter se ipsum; E contra Rex se ipsum totum impedit propter subditos.

3. Hujusmodi dominatum hodie in Europæ aliqua parte exercet Turca; In Africa Serusius, id est Dominus Barbaria seu Regnum Tez & Marocco. Tum item Abyssinus, vel Præsbyter Johannes; In Asia Moscus vel Moscovita; dehinc Magnus Cham Tartarorum dominator: denique Rex Chinae.

4. Apud

4. Apud hos nequidem nomen Principis aut Comitis toleratur; sed Dominatores absolutam gerunt potestatem, viræ necisque; honorum mobilium & immobilium; ipsorumq; liberorum, quæ omnia Dominis postulantibus subministrare coguntur. Interim ipsi bene faciunt subditis; subditiq; illos tanquam Deos venerantur.

### CAPUT XIII.

#### III. DE TYRANNIDE

##### tertiâ Monarchiæ specie.

1. **C**um regno è diametro pugnat Tyrannis, nequissima Monarchiæ species.

2. Tyranni essentia in eo consistit, quod omnia faciat sui ipsius gratia, & in proprium commodum: non solum neglectis subditis, sed & misere afflictis: Regimen administrat contra leges divinas & humanas; immo ipsius natura.

3. Atq; hæc propria est essentia & priva in doles Tyranni; Pleraq; alia habet communia cum aliis hominibus.

4. Habet, inquam, Avaritiam communem cum Euclionibus; quæ omnia civium bona ad se trahit, eos contributionibus gravissimis onerat, iis pecunias debitas non solvit.

5. 2. Communem habet rapinam cum Latronibus; dum etiam sine omni probabilitate per vim rapit subditorum bona.

3. Com-

6. 3. Communem habet superbiam cum Thrasonibus, neminem enim se superiorem putat.

7. 4. Communem habet metum cum maleficiis; consuevit quippe Tyrannus ob malefacta, nocte dieq; suum gestare in pectore testem.

8. 5. Communem habet crudelitatem cum Lictoribus, dum subditorum potentiores prudenterioresq; tollit de medio; Scilicet eos habeat adversarios suorum scelerum.

9. Ceterum similem vitam Tyranni similis exitus manet juxta illud Poetæ;

*Ad Cereris generum sine cede & sanguine pauci  
Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.*

#### CAPUT XIV.

##### II. DE ARISTOCRATIA.

1. ET vera abunde satis de Monarchia solliciti fuimus. Agite sultis tractemus & reliquas Rerum publicarum species, Aristocratiam, Democratiam, Mixtam, & Platonicam.

2. Aristocracia est cum ~~ægatis~~, id est, Optimates vel Primates, ~~ægatis~~, dominantur. Nimirum cum selecti e Civitate præstantiores ceteris, seu species nobilitatem generis, seu divitias, seu virtutem & peritiam, collocantur in solio Regimini.

3. Hæc forma Reipublicæ plurimum cedit.

Monar-

Monarchiæ: 1. Quia magis à se dissentient plures, quam unus: neq; ita facile in consiliis invicem convenient multi, quam unus. 2. Quia si multates ut plurimum oriuntur inter primates aspirantes ad honorem gubernationis. 3. Quia consilia non ita secreta manent, divulgata in plures.

4. Nihilominus licet non absolute melior sit Aristocracia quam Monarchia, tamen certo respectu nonnullis Rebus publicis convenientior est.

5. Aristocraticum Imperium floruit in Graecia, apud Spartanos, Thebanos, Megarenenses; Floruit Romæ post ejectos Reges, cū ad Consules de voluta fuit potestas summa; Hodie vero eadem Aristocracia viget apud Hollandos seu ordines unitarum Provinciarum; ubi ex singulis civitatibus, ex ordine senatorio, eliguntur unus & alter, qui Hagæcomitis constituant consilium magnū; Insuper viget apud Venetos, ubi ex Duce & Patriciis, certo numero collectis, fit consilium magnū Aristocratiam. Si quis volet, poterit in singulis civitatibus ponere Aristocratiam; sed minus propriè sic dictam; Ibi enim Consules quidem & Senatores, penes se habent imperium; Interim tamen alium superiorem se agnoscunt.

CAPUT

**CAPUT XV.****III. DE DEMOCRATIA**

1. **D**emocratia postremissima est inter Reipublicæ species, in qua plebs seu populus summa gaudet potestate: vel in qua plebs omnis vel major vulgi pars dominatur.

2. Hæc neq; constans, neq; durabilis esse potest; neq; debita felicitate gaudere; Et enim plebs belua multorum capitum: neque collitia novit dare, neq; affectus temperare, neq; silentium facere.

3. Ego quidem nescio vobis ullam denominare Democratiam, nisi forsitan angulo Helvetiae delitescat. Nam quando Besoldus dicit, Ordines Belgicos confidere Democratiam, nimis est absurdus.

**CAPUT XVI.****IV. DE REPUBLICA MIXTA.**

1. **N**ullus ferè hodie est inter Politicos, qui non tribus enumeratis Rerum publicarum speciebus, accenseat quartam, quam dicunt mixtam; cum Res publica contemporata est vel ex omnibus tribus; vel ex Monarchia & Aristocracia; vel ex Aristocracia & Democratia.

2. Sed cum liberum sit cuiq; arbitrari pro suo ingenio, arbitror ego nullam in mundo hactenus datam

datam esse, vel dari posse Rempublicam mixtam; scilicet, in qua ita miscentur tres prædictæ species, ut nova species formaq; inde resultet.

3. Nam, unum aliquem solum regnare, & simul ex æquo regnare paucos, & simul ex æquo regnare multos, hæc sunt contradictoria; Certè unum & non unum, seu pauca & plura sunt contradictoria.

4. Ut hanc famosam controversiam ex fundamento decidamus, notandæ erunt hæc tres positiones:

5. 1. Mixtio est duplex, una cum mutatione species, sicut cum ex coloribus albo nigroque nascitur medius viridis, specie distinctus ab utroque extremo: Altera citra speciei mutationem, ut cum ex albo & nigro oritur cinericius, specie conveniens cum extremis.

6. Mea igitur est sententia, dari in Mundo Respublicas mixtas, posteriori modo acceptatione. Nam potest Rex aliquis esse & optimatibus committere judicium, plebi ærarium; non tamen proinde miscentur species; neu Regnum cum Aristocracia confunditur: sed manet regnum: quia à potiori seu superiori fit diminutio; & iudeo qvoq; petitur essentia, quæ in Rebus publicis consistit in eo, ut vel unus supremus sit, vel plures; Tale est Imperium Romano-germanicum, in quo unum est caput summum, Imperia-

perator. Illi subordinati sunt Electores, tanquam optimates, & status alii.

7. 2. Positio: aliud est ipse status, vel species, vel forma Reipublicæ; aliud regimen seu administratio; quæ non solum accidens est istius, sed & mutari varie potest; velut unus idemque homo vultum & consilia mutat; Quavis igitur in Regno quolibet post Regem admittantur in concilium & in partem regiminis, status alii; manet tamen Regnum, neque miscetur Aristocratiæ. Certè si gubernatio, utpote accidens, mutata mutaret speciem Reipublicæ, jam non tres aut quatuor forent constituenda, sed innumeræ: quia infinitis modis variat gubernatio.

8. 3. Positio: alia est Monarchia præcise, simpliciter, absolutè considerata, sine omni adjuvamine aliorum hominum, alia concrete considerata, concurrente auxilio eorum, quibus Monarcha utitur; Priori modo nulla Monarchia tanquam fuit, vel esse potest; neque enim fieri potest ut unus homo eodem tempore pluribus in locis pluribus distinctis officiis præesse possit. Posteriori acceptione Monarchæ omnino dantur; Imo nullum est Imperium aut Regnum sub celo, in quo non admittantur in partem Regiminis optimates aut aliqui è plebe.

CAPUT

## CAPUT XVII.

## V. DE REPUB: PLATONICA.

1. **P**laton peculiarem constituit speciem Reipub: quam possetis indigitare Irrorpon, id est, in qua omnium personarum & rerum est æqualitas & communio.

2. Eam nonnulli è Platonicis faciunt commendabilem, utpote quæ instituta sit ad ordinem Universi; in qua nullum habeant locum Meum & Tuum; sed omnes vivant fratrum iustitiae.

3. Hanc optimis rationibus evertit Aristoteles lib. 2. Polit. Quia i. de essentia est Reip. ordo superiorum & inferiorum, qui hic tollitur.

4. 2. Ista Communio personarum evertit omnia Naturæ jura, & introducit nefandos incœstus: imò tollit omnes storgas ac naturales affectus parentum erga liberos & vice versa; Cum neque parentes certi sint de prole: neq; proles de Parentibus.

## CAPUT XVIII.

## De suprema Majestate, &amp; hujus Jure.

1. Persequimur jam ordinem in methodo nobis præscriptâ. Postquam rejectis duabus Rerumpubl. speciebus, Mixta & Platonica, cæteras famosas tres posuimus in justo honore, nunc de earundem proprietate vel affectionibus compendio dispiciemus.

C

2. Re-

2. Regno, Aristocratiæ & Democratiæ communis est majestas ; communia jura majestatica.

3. Rex certè præter Deum & vim fortiorē neminem agnoscit supra se. Sed Aristocratiæ & Democratiæ positæ sunt in dupli differentiâ. Aliquæ enim superius caput nullum agnoscunt, proinde huc pertinent & fruuntur summa majestate ; Aliquæ sunt sibi alternae vel subordinatae, quæ supra se habent summam majestatem, infra se subditos alios : Hoc sensu pertinent ad Instrumenta seu Media politica.

4. Proprietates supremæ majestatis sunt ha sequentes. 1. Summa majestas nihil habet se superiū: alioquin non esset summa. Nam quod sibi affingit Pontifex, jus coronandi Imperatorem, id vero nihil est.

5. 2. In summam Majestatem committitur crimen læse majestatis.

6. 3. Summa Majestas legibus soluta est, quod tamen intelligendum adhibita distinctione: Nam 1. leges quædam Divinæ, 2. quædam Naturæ, quibus majestas æquè subiecta est quam plebeus homo. 3. Leges quædam sunt fundamentales, super quas ceu basin nititur salustotius Reipublicæ, quibus nisi se submitteret Majestas, rueret tota publica res. 4. Sunt Leges Politicæ arbitrariæ, quas majestas ferre & abrogare pro re nata potest, adeoq; iis obnoxia non est.

7. Cœ.

7. Ceterum suprema majeſtas, ſicut Sol rā-  
diis ſuī fulget, ita & iſpa dignitatis quasdam aut  
potestates poffidet, quæ vulgo dicuntur Regalia.

8. Ea communiter conſtituuntur duūm ge-  
nerum; Aliqua majora; aliqua minora.

9. Majora pertainent ad Eminentiam & Glo-  
riam ſummæ Majestatis.

10. Minora ad Utilitatem & Comodum Fisci.

11. Utraq; rurſus ſunt duplia: Reservata &  
Communicata.

12. Majora Reservata ſunt quinq; ; Majora  
Communicata 17.

13. Minora reservata unum ſaltim habent.  
Genus, ſcil: Vectigalia nova: Minora Commu-  
nicata ſunt 12. Nōs omnia ordine inclusimus hiſ  
versiculis :

### Regalia Majora Reservata V.

1	2	3	4	5
Leges	Jus belli	Princeps	Academia	Cives.

### Regalia Majora Communicata

XVII.

1	2	
Cateri honorati	mox appellatio ſumma	

3	4	
Etatis venia:	& crimen pænaque remiſſa.	

5	6	7	
Integra fama	Salm ſpurii	Salvus quoq; dicitur	

8	9	Publitas
---	---	----------

1                    2                    3  
Vestigia duplex | censuſ | multaq; | Bonorum  
4                    5                    6  
Qua vacua : | bæredi non debita : | perditaturpi  
6                    7  
Concubituſ : | ob facinuſ proscripta : | amissag; quando  
8  
Laſa eſt maſteſas. | Porro argenteaſ : | rurſus  
10  
Jura ſalinarum, pifcaruſ, atq; ferarum. |  
11                    12  
Theſauri inventi : | poſtremo angaria prisca.

i. Per vestigia duplex: intellige t. vestigia non  
vnum, qvod est Regale reservatum: z. Vestigalia  
antiqva exigenda, qvæ faciunt primum Regale  
Communicatum.

## CAPIT

## C A P U T . X I X .

De Subditis. Horum officio,  
& classibus.

**S**uprema Majestas essentialiter refertur ad subditos, daturq; inter hos & istos mutua relatio.

2. In omni ordine est primum & infimum; Resp. est ordo Imperantium, ( Hi sunt in primis) & oboedientium ; ( qui in infimis ) alias dicuntur subditi.

3. Subditos nos facimus ordinarios s. propriè dictos, vel extraordinarios s. analogicos.

4. Extraordinarii sunt peregrini, quos rejicimus in locum ultimum.

5. Ordinarii subditi seu cives sunt vel indigenæ, id est in Republica geniti, vel advenæ. Utrique domicilium in Repub. posuerūt, eamq; incolunt; unde communis nomine Incolæ dicuntur.

6. Officia subditorum sunt tria, consistuntq;

1. In Obedientia; quæ se extendit (1) universim per omnes subditos, nemine excepto : omnis enim anima subjecta est magistratui. 2. Dehinc ad omnia Politica, imò etiam quæ dura & iniqua videntur : sed (3) & postremo non extendit se ad ea, quæ Deo contraria sunt & conscientiæ.

7. 2. In Reverentia, quam omnes subditi debent Magistratui, non solum verbis aut gestibus; sed obsequio, & intimo animi affectu.

C 3

g. 3. Sup-

8. 3. In suppeditis ferendis maiestati, tam numeris quam militariis.

9. Hac de subditis in communi. Apponam succinctam subditorum in classes distributionem. Et placet mihi quidem divisio Politicorum, qua subditos faciunt alios Ecclesiasticos; alios seculares; sed consultum videtur, quemque ordinem porro dividere in tres gradus; ut sint, primates, mediæsortis, & infimi.

10. Ecclesiastici primates sunt in Imperio Romano, Tres Archiepiscopi Electores, (Meng/Erler/Cölln) quatuor non Electores, (Magdeburg/Bremen/Salzburg/Viscont/Viscons) deinceps Episcopi.

11. Mediæ sortis sunt Abbates & Pralati; qui refero Canonicos, & Verbi divini Praecones.

12. Infimi sunt Monachi, Aeditui &c.

13. Secularis ordinis primates, post summam Majestatem & ejus Vicarium, sunt Electores quatuor, cum Rege Bohemiæ. 2. Archiduces & Dukes; (Archiduces Austriae: & Duces plurimi.) 3. Principes, Marchiones, Landgravii.

14. Mediæ ordinis sunt, Comites, Barones, Nobiles, inter quos sunt Doctores, Licentiati & Studioſa cohors; militans sapientiae in Castris Musarum..

15. Infimi ordinis sunt ex nostra sententia, 1. Patriiti. 2. Mercatores. 3. Artifices novum opus prod-

producentes, ut Fabri. 4. Conquisitores nihil effi-  
cientes novi, sed aliquid acqvientes, ut Piscatores.  
5. Draſtici, quorum omnis conatus consistit in  
nuda & vacua actione, quales Tibicines, Histrio-  
nes. 6. Omnim ultimi lunt & abjectissimi, Li-  
tores, Libitinarii.

16. Ad has classes reduci possunt ceteri o-  
mnes subditi civesq; Reipubl.

## CAPUT XX.

### De Collegiis & Societatibus.

1. **U**niversorum subditorum corpus minutius  
jam partimur, & resolvimus ex lege Metho-  
di nostræ, Primum in Collegia & familias.

2. Collegium voco societatem plurium ho-  
minum, variae conditionis & professionis aut po-  
tentatis, ita ut pendeant cœteri omnes ab uno  
quasi capite.

3. Sic est Collegium septem Electorum, cu-  
jus auctor certus non scitur. Collegium vel ordo  
equitum S. Spiritus, constitutus à Regibus  
Galliarum; Collegium Fasciæ Cruralis, l' Ordre  
de Jartier, à Regib. Britanniæ. Ordo aurei velleris,  
à Regibus Hispaniæ.

4. Huc pertinent tribus artificum & Natio-  
nes academiarum.

5. De Collegiis sequentes sunt observande  
Regulae. 1. Tres ad minimum faciunt Colle-  
gium,

gium, & non pauciores; sed omnino plures pos-  
sunt esse: interim servatur jus Collegii penes  
unum.

6. 2. Omne collegium habet peculiaria sua,  
statuta ad quae se conformat.

7. 3. Nullum collegium potest esse validum,  
nisi sciente aut consciente & statuta approba-  
te Magistratu superiore.

8. De familiis pauca adjungimus. Per fami-  
liam nihil intelligimus præterquam societatem  
domesticam personarum, ad minus trium, sub  
gubernatione unius patris familias, vel capitis.

9. Consideratio familiarum hoc loco est ge-  
neralis, quæ sunt partes minutissimæ reipublicæ.  
Alioquin particularis familiarium conceptus &  
earundem gubernatio pertinet ad Oeconomiam,  
ut male faciant Politici, qui de Domino & servo,  
de marito & uxore, de parentibus & liberis, par-  
ticularia & domestica præcepta tradunt in politi-  
cis. Non sunt disciplinæ confundendæ.

10. Familiam ad minimum constituant per-  
sonæ tres, Maritus, uxor, & servus; duo priores  
ob propagationem speciei, ne pessum eat societas  
humana & ruat Respublica; Tertius ille (servus  
aut jumentum) propter liberorum aut familiae  
sustentationem.

11. Quæritur hîc, an liberi jam geniti sint par-  
tes familiae? an saltim finis & effectus? Respon-  
detur:

detur: Quidni possint esse utrumq; sicuti forma  
tam finis est generationis, quam pars constitutiva  
rei genitae? Sicut flos adhuc arbore adhaerens,  
eius finis est, & pars est.

## C A P U T   X X I.

## De Peregrinis.

1. Ecimus superius subditos vel ordinarios vel  
extraordinarios. Quae huc usq; dicta sunt,  
intelligenda de ordinariis; Extraordinarii super  
sunt, claudentes seriem totius subjecti politici.

2. Appello peregrinos, qui non sunt nati in  
Republika (ut Indigenæ), neq; ibi domicilium  
posuerunt, (ut Advenæ) neq; gaudent jure aut  
privilegiis Civitatis, neq; iterum obnoxii sunt Ma-  
gistratui. Sed alibi geniti, & peregre seu foris in  
Rempublicam ingressi.

3. De his magna est disputatio, an sint recipi-  
endi in Rempubl. adhibitâ distinctione difficul-  
tas tolli potest. Si peregrini neq; veniunt opes ci-  
vium ablaturi, ut mendici, histriones; neq; reli-  
gioni insidias structuri, ut Jesvitæ; neq; prodituri  
civitatem: sed si se contineant intra septa hone-  
statis sibi præscripta, & sicubi fuerint heterodoxi,  
si neminem in religione turbent disputando; sed  
mercimonia inferant, urbē locupletent, tranquil-  
liter agant, Cur non queant admitti in civitatem?  
Certè ita Civitas redditur florentior, & procura-  
tur felicitas Reipublicæ.

## CAPUT XXII.

De Instrumentis Politicis, & primo  
de Magistratu.

1. Vlfa nobis hucusq; duo Politices membra,  
supereft tertium, Media scilicet seu Organa,  
beneficio quorum summa majestas finem suum,  
i. e. publicam felicitatem introducit in Politicam  
seu subditos.
2. Hæc duum facimus generum, Alia viva,  
alia vitaे carentia.
3. Viva sunt Senatus & Magistratus, vel ordi-  
narii vel extraordinarii, ut Legati. Vita orbatae  
sunt Leges, ( quæ Magistratus mutus ; uti Magi-  
stratus, lex loquens dicitur ) de quibus cap. seq.
4. Nunc de instrumentis vivis breviter, iisq;  
primo ordinariis.
5. Magistratus subordinatus Majestati, ita ge-  
neraliter accepta hac voce, duplices continet Per-  
sonas. 1. aliquas quæ solo consilio juvant Rem-  
publ. 2. aliquas quæ opere & exsecutione.
6. Priores illos consiliarios, vocant nomine  
singulari Politici Senatum, quanquam Senatus  
apud nos communis sit Titulus, quo fruuntur  
tam Consiliatii seu Consules, quam Senatores seu  
Exsecutores.
7. Magistratum vero strictè vocant, qui exse-  
quitur factio consilia à Senatu data.

8. Nos

8. Nos sic utimur hic voce Magistratus, ne per eam intelligamus omnes sedentes ad clavum Reipubl.

9. Horum in genere consideratorum hæc est essentia & definitio, quod sint, Personæ publicæ, quæ jure sibi concessò à majestate, curam gerunt publicæ salutis, subditos suos redigunt in ordinem, justitiam administrant.

10. Hinc facile erit aestimare neq; in divitiis, neq; in paupertate positam esse veram Magistratus essentiam. Dummodo aliquis sit vir bonus, integer vita, prudens, solers, amans patriæ & salutis publicæ, seu ille sit pauperissimus Curius, rapas assans juxta focum, & iis ventrem explens: seu Ariades, mendicans filiabus dotem à publico; sive etiam ditissimus Crassus, mancipium Pluti, aut alius; perinde est. Opes non faciunt Magistratum, neq; Egestas tollit.

11. Sed pergimus ad Senatum, seu Consiliarios, & Magistratum strictè & propriè dictum, id est, Executores.

12. A Senatu contra distinguitur Magistratus, qui, si Politicos consulatis, potestatem suam non extendit, nisi ad executionem eorum, quæ à Senatu sunt cognita & dijudicata, ut ita cognitio causæ & consilia pertineant ad Senatum, jus Executionis ad Magistratum.

13. Sed in populari vita Senatus & Magistratus

tus confunduntur. Cumq; jurisdictio strictè summa (potestas cognoscendi & dijudicandi) pertinet ad Senatum & imperium merum, (est potestas gladii & executionis) hodiè ad Magistratum pertinet tam jurisdictio quam imperium merum, atq; id qvod ex utroq; conflatum dicitur imperium mixtum.

14. Coeterum considerandus est in Politicis Magistratus, non ut abstractum quid, qualis est potestas, sed ut concretum, seu ut personæ publicæ, nō secus ac Rex aut Imperator aut subditi hac lege pertinent ad Politicam.

15. Definio ego Magistratum, Personas publicas, summæ Majestatis consensu ordinaras, ut vigilent pro salute publicæ rei, & justitiam administrarent ex legibus præscriptis.

16. Seqvuntur Classes vel Ordines Magistratum. Eos primo omnium constituo duos. Sic ut alius Magistratus sit Ecclesiasticus, alias Secularis.

17. Nolo hinc profligare Ecclesiasticos, quia & ipsi possident potestatem in civilibus: qui dubitate videat Archiepiscopos, Episcopos, Abbates &c. Et non erraverit qui huc reduxerit Magistratus Academicos, quibus & ipsis data est potestas Jurisdictionem perfectam exercendi in civibus causit.

18. De seculari Statu, ut ingenuè dicam, optarem

tem quidē, ut vobis aliquid dicerem, quod sapiat  
fundamenta Politica : Sed in tanta Rerum publ.  
varietate, omnes applicare uni communi Regu-  
læ, esset omnium pedibus unum calceum confor-  
mem reddere.

19. Non erit extra pretium operæ, ad consti-  
tutionem hujus Rostochiensis Reipubl. hac vice  
respicere, quæ cum mihi laudabilis satis videatur,  
exinde exemplum poterit capi, & ad eam idea-  
iliarum referri.

20. Totum Corpus Magistratus, sequenti or-  
dine distributum est. Primus ordo est quatuor  
Consulum, inter quos verbi potens unus, (der  
Worhabende/oder Worthaltende) singulis men-  
sibus novus eligitur : Hic libellos supplices reci-  
pit, querelas audit, Senatum cogit, in Senatu pro-  
ponit, & tandem de votis omnium fert judicium.

21. In secundo Ordine positi sunt Camerarii  
(die Cammerherren), qui primum curam gerunt  
ædificiorum, munitiotorum, deinde agrorum  
extra moenia jacentium. Tum porro præsunt  
censendis civibus & tabulis publicis.

22. In tertio positi sunt præfecti Opificum,,  
die Weddeherren/ quorum officium est curare  
portus, & flumen : constituere nocturnas excu-  
bias, deniq; controversias opificum conciliare &  
dijudicare.

23. Quartus ordo est Judicum, die Richther-  
ren/

ren / qui Juniores sunt in ordine Senatorio, ad quos spectant controversiae civiles & criminales; Hi comitia faciunt de vita & morte Sontium. Quin hi insuper creditorum & debitorum causas cognoscunt & dijudicant.

24. Sunt alii ordines quos mitto, utpote minus celebres, minusq; principales, quales Praefecti Pharmacopoli, Cellæ vinariae, monetæ cūdendæ.

25. His omnibus à latere adsistunt Syndici & Protonotarii, Registrator & Secretarius.

20. Hæc est Ichnographia Aristocratæ Rostochiensis, cui succisivas operas locant nonnulli è civibus, ut sedecim viri, die Sechs; zehn Männer / & centum viri, die Hundert Männer; quippe hic curam gerunt utriusq; Telonii, novi & antiqui: tum quoq; & inspectionem gerunt nemorum Weideherren/ Ptochotrophiorum. Templorum die Vorsteher.

### CAPUT XXIII. De Magistratu extraordinario, præcipue de Legatis.

2. **O**rdinario Magistrati nunc venit subjungendus Extraordinarius, qui aliquando cum necessitas postulat succisivas & succenturatas operas tribuit ordinario Magistrati, & illius vicies sustinet, curatq; sibi commissa, quo fine Anni vocavit Curatores.

2. Talis

2. Talis est Rege defuncto aut absente, Pro-  
rex aut Produx, aut Vice rector, aut Vices ge-  
rens seu locum tenens.

3. Horum omnium Curatorum officium est  
geminum. 1. Continere se intra limites præscri-  
pti mandati aut potestatis, neq; inde latum un-  
guem discedere. 2. Unice curare salutem publicæ  
rei, cuius gratia ablegati sunt.

4. Inter Curatores præcipui sunt Legati scil.  
Personæ publicæ, publica authoritate aut potesta-  
te sed limitata instructæ, missæ à summa potesta-  
te, ad Magistratum alium publici Emolumenti  
gratia.

5. Sunt vero legatorum varia officia, tam bel-  
li quam pacis tempore.

6. Legati bellici sunt 1. Feciales, qui mittun-  
tur ad hostes, ut iis bellum indicent, quod Ro-  
mani vocabant clarigare, scilicet ingenuæ isti  
belligerabant, neq; improvidè aut fraudulenter  
aggrèdiebantur hostem insciūm. Hodie corum  
nullus est usus, qvum tanto quisq; æstimetur bel-  
licosior & magis miles, quanto versutius scit  
dolo uti.

7. 2. Caduceatores (quos Politici ineptè con-  
fundunt cum legatis generaliter dictis) appellati  
caduceo, virgula Mercuriali, qua ille dissidentes  
hominum animos conciliabat. Ut priores feci-  
ales bellum nunciabant, ita caduceatores in bello  
quære-

quærebant pacem; tales sunt hodiernum Commissarii & arbitri.

8. Tempore Pacis Legati varias ob causas ablegantur, (quos omnes honorarios indigitare possumus) ut qui mittuntur ad conciliandum conjugium inter absentes Magnates: Vel ut gratulentur nuptiis, aut natæ soboli: vel ut de mortuo Magistratui condolentiam testentur relictis.

## CAPUT XXIV.

### De Legibus.

1. Expedivimus hacenus media politica vivæ; seu vocalia, supersunt muta, quæ diximus esse Leges.

2. De Legibus notanda sunt sequentia 1. O nimoda Legum est necessitas; ut minus considerè mihi fecisse videantur nonnulli Politici (Arnisdæus & Schoneborn.) qui indistincte & generaliter scripserunt, fuisse homines qui sine legibus vixerint, & ad Testimonium Aborigenes & Scytas producunt. Id simpliciter intellectum falsum est; At secundum quid tolerari potest. Enimverò decuisset illos præmittere quales intellexissent leges? quarum distinctionem silentio prorsus præterierunt.

3. Ajo ego nullas à prima Mundi origine vixisse gentes, tam feras & barbaras, quæ non institerint vitam juxta leges.

4. Præ-

4. Præmitto hic igitur distinctionem legum alibi traditam. 1. sunt leges Naturales, omnibus hominibus Natura insculptæ, quales sunt; amor Parentum, & ipsa Dei cognitio, qvæ omnes incitavit ut Religioni cuicunq; incumberent. Sine his legibus nullus unquam hominum vixit.

5. 2. Sunt leges Civiles, qvæ consistunt inter superiorem potestatem & inferiores subditos: Juxta has vixerunt Aborigenes, qvorum Rex primus fuit Janus, cuiusq; subditi ejus imperio obedierunt. Talibus legibus hodie utuntur Mauri & Abyssini. Ideo absolutè & simpliciter nemo hominum vivit sine legibus.

6. Legum tamen Positivarum Politicarum, in imperio & regnis, alia est ratio. Hæ sunt qvæ anima:absq; qvæ corpus politicum est mortuum.

7. Ad Legum essentiam constituendam concurrunt duo. Necessaria fundamenta; qvæ sunt qvæ Extrema, aut Termini Relativi: 1. Legislator, 2. qvibus præscribuntur LL, seu subditi.

8. Qvod ad primum attinet, ajo, omnem legem latam & promulgatam fuisse à superiore potestate. Sic à D E o ipso Tabulis saxeis inscriptæ & promulgatae sunt leges Morales, Ceremoniales, & Forenses, qvæ pertinent ad forum, unde dicuntur Judiciales. Primæ istæ obligant omnes homines; Binæ posteriores tantum Judæos. Omnium harum Legislator est D E u s.

D

g.Ie-

9. Leges consignatae in Corpore Juris, & alia Statuta municipalia ~~Stadt~~ Recht / Legislatorem agnoscunt Imperatorem, aut Magistratus oppidanos.

10. Alterum extremum, quo referuntur Leges, sunt subditi. Quae enim illa lex quæ nulli daretur?

11. Positis his talis confieri potest legum definitio. Qvod sint Iussa à summa potestate promulgata, juxta quæ subditi vitam moresq; instituere tenentur.

12. Coeterum iussa hæc bona ne sint an mala? justa an injusta? honesta an inhonesta? ratione stabilita an carentia, quæri posset?

13. Priora illa non sunt legibus essentialia: Possunt enim leges mala esse & inhonestæ, dummodo non pugnant cum Deo & natura; A rationis expers nulla est lex, si non vera & necessaria Rationis, saltim apparentis.

## CAPUT XXV.

### De Educatione.

1. **E**DUCATIO ad instrumenta Politica rectè referatur à Politicis. Sed varius est hujus conceptus: nam & Oeconomus habet curam educationis, Pertinet etiam ad disciplinas alias. Verum cum Politica sit disciplina publica, perperam immiscetur private illæ considerationes Systemati huic Politico.

2. Qvod

2. Qvod spectat educationem, uti refertur ad salutem & emolumenntum publicum, omnino est ex re Politice, ut à summa potestate cura adhibeatur, qvo tenera ætas in loco publico, publico labore & suntu informetur, in iis studiis & virtutibus, qvæ illi ad publica privataq; munia gerenda inserviunt.

3. Hujusmodi publicorum adminiculorum sunt quatuor gradus. In infimo stant Scholæ Particulares, in qvibus pueritia jicit prima fundamina & rudimenta disciplinarum. Hic quantum tibi comparaveris & tecum attuleris ad Scholas altiores, tantum solidi possidebis.

4. II. Post has Scholas sunt Gymnasia, in qvibus docetur Philosophia; sed nulli dispensantur honores Facultatum.

5. III. Supra Gymnasia sunt Academiæ, in qvibus qvidem Philosophia & superiores tres Facultates docentur, gradus honorum distribuuntur; sed non omnes in superioribus facultatibus: Sunt enim plures Academiæ, qvibus non est datum privilegium, Creandi Doctores Theologiz.

6. IV. Omnia eminentissimæ dicuntur Universitates, donatae omnibus omnium generum Privilegiis literariis, qualis est hæc nostra Rostockiensis;

CAPUT XXVI.  
PARS CURATRIX.

De Causis laborantis Reipublicæ.

1. Cum jam deducta sit Politica nostra, usque ad secundam seu ultimam partem, quæ est Curatrix, decet nos curam nostram impendere duobus; I. Quæ sint causæ, cur Respub. malè se habeant, sæpe etiam intereant? II. Quæ remedia his malis veniant opponenda?

2. Primum istud quod attinet, non est nostræ Curæ, quid alii Politici disputatione de Causis afflictarum Rerum publicarum. Ego ad exemplum Medicorum triplex facio Causalium genus  
 1. externas ~~congruas~~, 2. Internas antecedentes, ~~congruas~~. 3. Continentes ~~congruas~~, proximas seu immedias.

3. Externas causas, abs quibus affliguntur aut corrumperunt Respubl. tres facio, quæ sunt i. Vis publica sive bellum; Hæc belua non solum mordet Rempubl. sed & penitus devorat.

4. 2. Prohibitio & interceptio earum rerum quæ faciunt ad integratem Reipublicæ. Huc pertinent nova & nimia vectigalia: negotiationes interceptæ.

5. 3. Vicinarum Rerum subitum incrementum.

51

tum. Nam unâ Politia extraordinariè crescente,  
proxima ferè emarcessit, qvemadmodum majus  
lumen obfuscat minus.

6. Causas Internas antecedentes facio Qua-  
tuor: 1. Partialem & nimiam eminentiam non-  
nullorum Civium, positam in honore, divitiis, po-  
tentia &c. Tales qui sunt, præ se contemnunt  
alios, è suo arbitrio omnia dispensare conantur:  
Contra Senatum sapere & supra vulgus. Hinc  
non potest non turbari & affligi Républica.

7. 2. Nimia abjectio nonnullorum civium  
per contemptum, ignominiam; unde oritur coi-  
tio, & nisi remedium adhibetur, desperatio, qvæ  
res & ipsa periculosa admodum Politiae.

8. 3. Magistratus prævaricatio. Cum in Sena-  
tum vocantur illi, qui jam ante odio prosequun-  
tur Senatum; aut cum connivet neq; gliscentes  
turbae leves opprimit Magistratus. Deniq; dum  
nimis multi cives peregrini dissimiles recipiuntur  
in Rempubl.

9. 4. Religionis mutatio.

10. Causa continens unica est, Discordia vel  
feditio, qvæ si levior, leviorem adflat Républicæ  
morbum: si gravior, præsentem perniciem.

### CAP. ULTIMUM.

#### De Remediis, laborantis Reipubl.

1. Solliciti sumus ultimo de Remediis, qvibus  
succurri potest laboranti Reipubl.

D 3

2. Prin.

2. Principio hic seponimus, santicas illas & fatales Kerumpubl. periodos, qvando omnes properant ad interitum, qvem nulla ars avertere potest.

3. Tribus autem illis causarum generibus, opponimus tres remediorum classes.

4. Causis externis, ut bello, opponimus justæ causæ defensionem per aliud bellum: Nam à natura datum est hoc jus, qvo vim licet vi repellere.

5. II. Aversiones rerum necessiarum prohiberi possunt, vel amicabili conventione & salutibus consiliis, vel pecunia impensa, vel tolerantia intempus, vel si aliter fieri nequit Violentia vindicta.

6. 3. Porro vicinæ civitatis incrementum, utpote causa santicæ, nec prohiberi potest, nec debet: Sed civitas pressa qvatum potest, tueatur se à naufragio, & imitetur Hecticos, qui macilenta corporis sui constitutionem, diu sustentant & conservant bona dixerat.

7. III. E. Causis internis prima erat nimia eminentia. Illi non arbitror obviam eundum præcipiti vi: Potentes illos mittendos in exilium, exuendos opibus: sed potius cum ut plurimum potentes isti has concident turbas, ut Magistratui inseri queant, proinde ascribantur Senatui, & evanescantur. Ita partim desinent ipsi turbare, partim iuramento coacti, cives adigent ad concordiam.

a. Ni

8. 2. *Nimius contemptus & contumelia emendari potest, si ad honestiora officia civilia ad moveantur illi contempti, aut si animadvertatur in Authores contumeliarum, si non vere, saltem fucatè.*

9. 3. *Magistratus prævaricatio item tolletur, si non alii elegantur, qvam qvos jam antea descripsimus legitimos Magistratus.*

10. 4. *Deniq; Religionum diversitas perturbas non dat, qvod plurimarum exemplo Rerumpub. patet, in qvibus distinctis Heterodoxis leges sunt præfixæ, adversus qvas si peccent, jam relictæ est Magistratui potestas peccatum hoc puniendi.*

II. *Supereft ultima causa, Seditio, ad qvam sedandam i. Blanda & salutari admonitione opus est.*

12. 2. *Principes authores seditionum, honesta qvadam causa ablegandi extra Rempubl.*

13. *Qvod si neq; tum cessaverit seditio, animadvertisendum in unum vel alterum caput seditionis, ut deterreantur coeteri, & redigantur in ordinem.*

**F I N I S**

Pag. Lin.

- 2 6. pre qvilege qvæ  
4 13 post consilio, adde Alia etiam exse-  
cutione.  
5 16 post tribus adde qvæ sunt.  
*ibid.* 17 post in pace lege pax  
6 23 pro esse lege esset  
22 11 pro se si qvæ lege centum &c.






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730469980/phys\\_0061](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469980/phys_0061)

**DFG**





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730469980/phys\\_0063](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730469980/phys_0063)

**DFG**



tum. Nam unâ Po-  
proxima ferè emai-  
lumen obfuscat m-

6. Causas Int-  
tuor : 1. Partialen  
nullorum Civium.  
tentia &c. Tales  
alios, è suo arbitrio  
Contra Senatum  
non potest non tu-

7. 2. Nimia al-  
per contemptum,  
tio, & nisi remediū  
res & ipsa pericula

8. 3. Magistra-  
tum vocantur illi,  
tur Senatum ; aut  
turbas leves oppri-  
nimis multi cives p-  
in Rempubl.


9. 4. Religio

10. Causa cor-  
feditio, qvæ si levius  
morbū : si gravius

CAP.

De Remediis

I. Solliciti sumus  
succurri potes-



the scale towards document

marie crescente,  
modum majus  
entes facio Qva-  
inentiam non-  
ore, divitiis, po-  
se contemnunt  
fare conantur :  
vulgus. Hinc  
espública...  
orum civium  
nde oritur coi-  
desperatio, qvæ  
politiae.  
, Cum in Sena-  
dio prosequun-  
neq; gliscentes  
Deniq; dum  
les recipiuntur  
, Discordia vel-  
hat Reipublicæ  
erniciem...  
A.  
Reipubl.  
mediis, qvibus  
ubl.  
2. Princ.